



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XLIX. Vtrùm possit quis per interpretem Sacerdoti praesenti confiteri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput III. De Qualitate

la peccata pœnitens admiserit; verùm etiam an firmum conceperit propositum cauendi in futurum peccatum. Per nuntium autem de horum neutro ipsi certius quicquam cõstare potest, cùm nuntius mentiri possit, & pœnitens mutauerit sententiam, nec serium habeat propositum, abstinenti à peccatis.

Quaestio
II. *Potestne quis per Interpretem Sacerdoti praesenti confiteri?*

Responsio. **E**Tsi propter periculum famæ & scandalum nemo obligatur ad confitendum per interpretem; certum tamen est licere cuique linguae ignaro confiteri peccata in praesentia Sacerdotis per interpretem, quæ utique Confessio valida erit, & conferri poterit Absolutio: Est enim diuersa ratio, quam de internuntio. Quia quando internuntius refert peccata Sacerdoti, pœnitens non est praesens; per interpretem autem signo & nutu ostendit pœnitens, se eius reum esse, quod interpres dicit; & sic est verum Sacramentum. Et interpres omninò tenetur occultare peccata, quæ audiuit.

Quaestio
L. *Teneturne interpres tam arcto vinculo ad sigillum Confessionis, quam Sacerdos?*

Responsio. **R**espondent aliqui Theologi, quòd non: Nam interpres, inquiunt, non fungitur munere